



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE FUISSE SANCTO SANCTA TERESIA A IESU JORNET IBARS

CONFIRMATUR PATRONA SENUM TOTIUS COLUMBIAE Ad perpetuam rei memoriam. – Fuisse Sanctos ob vitae innocentiam, caritatem erga proximos, observantiam divinatorum mandatorum diligentissimam, amicus Dei, sic ut Abraham (cf. *Iac* 2, 23), atque proinde posse eos post mortem illos ceu Patronos adiuvere, qui sincera religione honorant et invocant, id Ecclesia catholica credit atque fatetur; quare, non modo Beatos illos caelites a fidelibus invocari sinit, verum et ipsa, quasi in exemplum, et colit publice, et veneratur, et in necessitatibus opem illorum implorat. Cum ergo venerabiles Fratres Episcopi Columbiana, ad pietatem respicientes suorum populorum erga Sanctam Teresiam a Iesu Jornet Ibars, cuius filiae iamdiu magno cum fructu in suis ipsorum provinciis pro senibus laborant, eximiam hanc Sanctam Patronam totius Columbine senum elegerunt; atque Venerabilis Frater Hector Rueda Hernández, Archiepiscopus Bucaramanguensis idemque Conferentiae episcopalis illius nationis Praeses, ab hac Apostolica Sede petierit ut hanc nominationem confirmaremus, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30; Nos, explorato omnia fuisse ad iuris praescripta peracta, quam libenter precibus concedimus. Quae vero Sacra Congregatio pro Cultu Divino hac de re gesserit adprobantes, factis olim a Nobis facultatibus, Sanctam Teresiam a Iesu Jornet Ibars Virginem, Patronam apud Deum senum Columbiae confirmamus, cum iuribus atque privilegiis, quae iuxta Rubricas consequuntur. Contrariis nihil obstantibus. Id autem fore speramus, ut S. Teresia velit in vicem quam aequissimis oculis senes respicere eorumque dies serenissimos reddere. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Iunii, anno MDCCCCLXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana